ELEGIAE NUPTIALES DUAE SCRIPTAE REVERENDO VIRO, PIETATE ET VIRTUTE PRAESTANTI D...

Christoph Caesar, Georg Koch



EPIGRAMMA.

Res bona virginitas: quid tum? licet optima fertur,
Non tamen alta replet, nec replet ima bonis.
Vtraq; Coniugium preciosis fructibus auget,
Est ergò hoc melius Virginitate bonum.
Laudat delitias vitæ Papa cælibis, effert
Laicus at vitæ grex socialis onus:
Cum vitæ poscet rationes arbiter actæ,
Vitæ palma bonæ dic mihi cuius erit?

M. Abrahamus Faber
Lomaciensis.

ELEGIA I. CHRISTOPHORI CAESARIS ILAVIENSIS.

IAm vada stagnantis resonant viridantia Salæ,
Quæ faciunt fontes, nomine clara, salis.
Blandus odoriferis dum tempora pulcra corollis
Vinctus Hymen, cœlo iubila voce iacit.
Dumq́; sub aërijs crepitantia turribus æra,
Astrigeri feriunt sidera celsa poli,
Clangentisq́; tubæ fractum caua saxa canorem,
Et tremulum, reddit, buccina rauca, sonum.
Ille dies cupidas dabit in BALTHASARIS vlnas
ANNAM, quos casto iungit amore fides:
Lætior inde, nouis gratans noua gaudia Sponsis,
Lumine nunc, Phœbus, fulgidiore nitet.
Ergò tua meritò gaudes quoq́; Sponse marita,
Hac etenim sola Sponse beatus eris.
Ornat eam pietas, grataq́; modestia formæ,
Et decor, & probitas, vitaq́; casta, pudor.
Adde quod hanc etiam commendat honesta Parentum
Fama, viris leuiter non reputanda bonis.
Tu quoq́; Sponsa tuo gaude nunc læta marito,
Non alio poteris esse beata viro.
Ipse nouenarum formosa vireta Sororum
Mente colens, studijs præmia digna tulit.

Ille sacros vigili penetransq; labore recessus,
Diuinos voluit nocte dieq; libros.
Percipit hinc operæ fructus Ecclesia dulces,
Munera dum verbi fontibus hausta, docet.
Est habitans stabili pietas in pectore nota,
Notus & est veræ relligionis amor.
Et studium recti, labor indefessus & acer,
Doctrinæ morum conueniensq; decor.
Non alium decuit tam Sponsa venusta maritum,
Non alio Sponso digna marita fuit.
Cydippen bellus velut arsit Acontius, ANNÆ
Sic ardet dulci Sponsus amore suæ.
Admetiq; velut moriens Alcestis amati,
Sic Sponsi flagrans vritur ANNA, face.
Non tamen est amor hic Erebo Furijsq; creatus,
Qualis, vbi proprium fallit amica virum,
Sed talis, SOLI cum Sponsa pudica marito,
Et SOLI Sponsus complacuisse studet.
Condidit hos DEVS, atq; probat, castißimus ignes,
Legitima socians mutua corda fide.
Diuini testis non improba flamma fauoris,
Esse DEO curæ corpora nostra, docet.
Illius in nobis qui semina sparsit amoris,
Quo Natum, quo nos, diligit ipse pater.

Affectus

Affectus addens, quibus in sua pignora fertur,
Ante pedes ludunt quando tenella, pater.
Dulce patris nomen, gaudet sic ipse vocari,
Qui verbo genitos in sua regna locat,
Quos patrio curans complectitur acer amore,
Vt gremio natum mater amica fouet.
NVNC uentres, rigidis fera cedite monstra cucullis,
Murmure qui colitis numine ficta truci,
Et quos deformat fœdis rasura capillis,
Temnere quos thalami fœdera sancta iuuat.
E stygijs rabies est hæc emissa cauernis,
Rursus & in stygios est abigenda lacus,
AT Sponsi (quorum melior sententia menti)
Vnanimi socio viuite corde toro.
Viuite longæui concordes Nestoris annos,
Et turbet thalamum rara querela pium,
Nomiine dulcis Aui gaudentes, nomine Patris,
Crescat & in laudes turba nouella DEI.
Vt veluti plenis lætatur Pampinus vuis,
Cernatis vestri pignora læta tori.

FINIS.

ELEGIA II. GEORGII COCI HERINGENSIS.

DVm sacrata paras iusto connubia ritu
BALTHASar, æterni serue verende Dei:
Cumq; tua festas Sponsa iam pergis ad aras,
Fusurus summo vota precesq; Deo:
Iussa facis Domini, cuius tua cura bidentes
Pascit, & autori munera grata Deo.
Nec solum verbis pascis saluantibus agnos,
Sed facis officio vt vita sit apta tuo.
Nam quæ voce Dei præco connubia laudas,
Ipse pio Sponsæ captus amore paras.
Quæq; refers alijs socij sacra commoda lecti,
Instituis festo hoc experiunda die.
Indicat ingentis vita hæc incendia amoris,
Quo fouet humanum Christus, amatq;, genus.
Coniugium replet vacuata sedilia cœli,
Coniugio æterni crescit ouile Dei.
Exercetur amor, capit incrementa resultans
Cordibus amborum cum pietate fides.
Deniq; virtutum est Academia, vita iugalis,
In qua nemo satis perdidicisse potest.
Hæc animo reputans melius pie Sponse pudico,
Dulcia coniugij iam quoq; vincla subis.

Gratulor

Gratulor ergo pijs animo Sponse optime cœptis,
Connubioq; precor prospera cuncta tuo.
Sit felix thalamus, procul hinc discedito luctus,
Quæq; pium poßint soluere iniqua, torum.
Numen ades trinum, vultumq; aduerte benignum,
Atq; iuua sanctum, cuius es autor, opus.
Qui primos nemore in viridi, Deus alme, parentes
Vno iunxisti voce manuq; iugo.
His quoq; coniugibus felici Numine præsens
Adsis & parili pectora amore liga.
Quiq; olim exornans Cananæas munere tædas
Hoc tibi monstrasti Christe placere iugum:
Has etiam exorna cœlesti munere tædas,
Cultoresq; poli respice ab axe tuos.
Dulcia coniugibus nunquam solatia desint,
Si qua piam quassat sors inimica domum:
Inq; Pelusiacas Cacodæmona pellito syluas,
Ne ferat in castum noxia tela torum.
Tu quoq; procedens de Numine Numen vtroq;,
Exere nunc flammas Spiritus alme tuas,
Mentes iunge pias, piriliq; accendito amore,
Vna sit amborum mens, sit & vnus amor.
Æqua fides seruet iunctos, & mutuus ardor,
Cura domus eadem, par pietatis amor.

Crescite,

Crescite, fœcundas generando vincite vites,
Crescat ut æterni gloria magna DEI.
Floreat in vestro semper concordia lecto,
Atq; per innumeros stet sine lite dies.

FINIS.